

Band VIII., Nr. 3374, Seite 475-476

Der Edle Berthold von Neuffen stellt dem Kloster Salem Bürgen für die Gewährleistung des Verkaufs der Güter in Nürtingen.

Esslingen, 1284. September 3.

In nomine domini. Amen. Nos Bertholdus de Niffen nobilis publica protestatione presentium recognoscimus et protestamur, quod, cum super possessionibus et hominibus in Niwirtingen nobis iure proprietatis ac libertatis titulo pertinentibus, quas venerabilibus in Christo domino . . abbati et conventui monasterii in Salem eodem omnino iure perpetuo possidendas distrahendo vendidimus, cautio werandie, ad quam tenemur secundum commune ius terre, per eosdem a nobis exigeretur, ad obligationem fideiussionis et obstagii nos et nostros fideiussores, videlicet dominum Cūnradum iuniorem de Winsberch sororium nostrum, dominum Bertholdum de Gundershoven militem, dominum Rūdolfum pincernam de Winide militem, Bertholdum dictum Houbt, Cūnradum dictum Schilhinc, Albertum scultetum nostrum de Niffen, Cūnradum dictum Mahtolf, Ūlricum de Witelingen et Eberhardum dictum Holzwart, astrinximus per hunc modum, ut videlicet, si de cetero dicte possessiones vel homines contra venditionis nostre formam impetantur a quocumque, tunc provisor seu procurator dictorum dominorum de Salem nobis diem certum pro removenda impetitione seu vexatione debet assignare. Ad quam si venire neglexerimus, alia statim nobis ad id ipsum faciendum debet rursus assignari ab eodem, ad quam iterato si non venerimus, mox postquam ammoniti fuerint per unum mensem quinque de prenotatis decem fideiussoribus seu obsidibus, quos idem procurator ammonere voluerit, se recipere tenentur in obstagium apud Ezzilingen vel in Kirchain, nunquam inde recessuri, donec alio mense iterum finito, si medio tempore impetitio non cessaverit, reliqui omnes cum prioribus fideiussores seu obsides, qui se similiter data fide nomine iuramenti omnes ad recipiendum se in obstagium astrinxerunt, postquam ammoniti fuerint, ut superius est expressum, se in obstagium recipere tenebuntur, et nos idem facere tenemur cum eisdem, nunquam inde recessuri, quousque predictas possessiones ab impetitionis seu inquietationis calumpnia penitus absolvamus. Si autem quisquam obsidum seu fideiussorum predictorum per infirmitatem vel mortem defecerit, alius loco ipsius infra spatium unius mensis per nos debet subrogari. Hanc tamen nobis ex premissis reservavimus libertatem, ut in prima tantum ammonitione nos et sororius noster prenotatus in obstagium nos recipere minime teneamur. Denique eadem fide, qua sumus astricti, nos Bertholdus promisimus, ut per

II

procuracionem nostram tres agri in Niwirtingen, qui gebraita vulgariter dicuntur, quamdiu fuerint indistincti per limites certos, colantur absque nostra semente pariter et expensa, remoto in omnibus premissis cavillationis dolo. Ad evidentiam igitur omnium premissorum presentem cedulam antedictis dominis de Salem tradidimus nostri sigilli robore consignatam.

 Datum apud Ezzilingen, anno domini MCCLXXX quarto, III. nonas Septembris, presentibus testibus et rogatis, videlicet: Marquardo sculteto antiquo, Hainrico dicto Holzhuser, Sifrido dicto de Diurinkain, Rûperto, Cûnrado, Rûdgero fratribus dictis Rûpreht, Rûdolfo dicto Hasinzagil et Bertholdo filio suo consulibus et aliis quam pluribus iudicibus et civibus in Ezzilingen fide dignis. Ego Cûnradus prenotatus iunior de Winsberch omnia premissa presenti scripto approbo et ratifico ac vera esse confiteor et huic instrumento ad maiorem firmitatem meum sigillum duxi similiter appendendum. Nos quoque cives in Ezzilingen prenotati omnia, que premissa sunt, vera esse confitemur et presentibus ad cautelam nostrum duximus sigillum apponendum.

—

Nach dem Original.

 Ital. Perg.

 Siegel wie an der vorhergehenden Urkunde.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 135 U 7

Editionen:

Codex diplomaticus Salemitanus, Bd. 2, S. 301, Nr. 678.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Ortsindex:

Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Gundershofen Wohnplatz (16934)
 Gundershofen, Schelklingen, UL
 Hohenwittlingen Wohnplatz (16005)
 Hohenwittlingen, Bad Urach, RT
 Kirchheim am Neckar Wohnplatz (1002)
 Kirchheim am Neckar, LB
 Nürtingen Wohnplatz (421)
 Nürtingen, ES
 Obertürkheim Wohnplatz (40)
 Obertürkheim, Stuttgart, S
 Ruine Hohenneuffen Wohnplatz (408)
 Ruine Hohenneuffen, Neuffen, ES
 Schloss Salem : Salem FN
 Schloss Salem Wohnplatz (18257)
 Untertürkheim Wohnplatz (62)
 Untertürkheim, Stuttgart, S
 Weinsberg Wohnplatz (2238)
 Weinsberg, HN
 Winnenden Wohnplatz (1687)
 Winnenden, WN